

J. q. 258, 1.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

GRATVITA
IVSTIFICATIONE

HOMINIS PECCATORIS
CORAM JVDICIO DEI

Q V A M
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO
GERHARDI TITII

S. THEOL. DOCT. ET PROF.
ORDINARI

AD DIEM XXV AVGVSTI

IN ILLVSTRI ACADEMIA JVLIA

Publicè examinandam proponit

JOHANNES JVLIVS Kreitt

AVTOR

HABEBITVR

IN JVLEO MAJORI.

❁ (o) ❁

HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIO IO C LXIV.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

GRATA VITA

IVSTIFICATIONE

HOMINIS RECCATORIS

CONTRA IUDICIO DEI

Q. V. M.

Q. M. A.

SUB PRÆSIDIO

GERHARDI TILII

THEOLOGICI ET PASTORIS

ORIGINARI

AD DIEM XXV AVGVSTII

IN LINGVA ACADEMICA

PROBATA

JOHANNES JELIVS

AVTOR

HABEBIT

IN VITIS

HELMSTADII

MDCLXXII

MDCLXXII





ΣΥΝΘΕΣΙΣ

DE

IUSTIFICATIONE

THESIS I.

Articulum de Iustificatione hominis peccatoris coram iudicio Dei, non immeritò quis vocaverit unam è columnis totius Christianæ Religionis, imò salutis nostræ arcem & Acropolin, per quam stat Ecclesia, teste August. in Enchirid. cap. LXIV. Deus Optimus Max. pro immensâ suâ bonitate erga omnes misericorditer est affectus, ita, ut generis humani propriâ suâ culpâ ac Diaboli fraude in peccatum & extremum exitium prolapsi misertus, filium suum pro omnibus tradiderit, Rom. VIII. 32. Qui pro omnibus homo factus, passus & mortuus, II. Cor. V. 15. I. Tim. II. 6. resurrexit, Rom. IV. 25. ascendit in cœlos, Act. I. 9. & sic remissionem peccatorum ac finem fidei nostræ, qui est æterna hominum salus, nobis reparavit. Ingens hoc, nec unquam satis de prædicandum Filij sui beneficium, Clementissimus ac benignissimus Pater in verbo suo nobis patefecit, hominibusque per Ecclesiæ ministros sinit annunciari: Qui itaque Evangelio huic assensum præbent, ac verâ fide mortem, Satisfactionem & meritum Christi sibi applicant, illi Deo antea irato reconciliantur, remissionem peccatorum verè consequuntur, è statu iræ & damnationis

A

in

in statum gratiæ ac salutis transferuntur, & vitæ æternæ, si verè fideles permanserint, nec in peccata relapsi, ad finem usque in ijs perseveraverint, hæredes efficiuntur. Et hæc est justificatio nostra, præcipuus ille doctrinæ Christianæ Articulus, ut Corpus doctrinæ Iulium ex Apologia August: Confess: eam vocat. Qui Articulus, cum primum certè locum obtineat inter eos, de quibus inter Protestantes & Pontificios hodiè controvertitur, de eo nonnulla tradere institui, si Deus ac Dominus noster ea, quæ de hac re cogitanti suggestit, etiam scribenti mihi non deneget, ut ad institutum meum accommo- dem verba S. Augustini, Prologo libb: de Doctr: Christ.

II. Ut autem de hâc doctrina justificationis eò melius constet & inoffenso pede in eâ progredi liceat, statim in li- mine notari meretur, *justificandi* verbum in SS. Scripturis sine quibus in hoc negotio nihil sapere possumus, longè alio, ac Pontificij volunt, sensu accipi. Illi enim verbum *justificare* sic exponunt, ut idem sit, quod ex injusto justum facere justitiæ habitum ei infundendo. Urgent proinde vim latinæ compositionis, & dicunt; sicut calefacere sit in- trinsecè calidum facere, calorem in aliquo excitando; & sanare sit intrinsecè sanum facere, sanitatem in aliquo pro- ducendo: ita etiam justificare esse intrinsecè justum facere, habitum nimirum justitiæ in animum infundendo. Ita enim Cost. Iesuita in Ench. c. vi. de justific. initio: *justificare*, inquit, est justum facere, sive justitiam dare, sicuti calefacere est calidum fa- cere sive calorem dare. Gemina his scribit Andreas Vega, lib. v. de justific. cap. iii. *justificare* accipitur in Scriptura & apud sacros Patres pro eodem, quod est verè & re ipsâ facere justum, sicut re- dificare pro eodem, quod est rectum facere, & purificare seu mun- dificare pro eodem, quod est mundum facere aut purum; Et sic in Scriptura dicitur Deus justificare peccatores, quia illos justos facit; & peccatores dicuntur justificari, cum iusti sunt. Item, Bellarm: lib.

lib. II. de justific: cap. IX. *Verbum justificandi, inquit, significare justum facere, sicut magnificare, glorificare, mortificare, significat magnum, gloriosum ac mortuum facere.* Cùm tamen non ex Grammaticâ latinæ vocis compositione, sed ex usu scripturæ & ipsis fontibus de vera hujus vocabuli significatione judicandum ac statuendum sit. Quod hîc minimè faciunt adversarij, sed illam potius acriter propugnant.

III. Certum interim est, vocabulum *justificandi*, quandoquæ de hominis peccatoris justificatione coram Deo, in quantum fit à Deo, sumitur, non pro infusione justitiæ sed semper sensu ac significatione forensi accipi, prout idem notat ac in judicio cognitâ causâ sententiam ferre, ab intentato crimine absolvere, justum pronunciare. Cùm autem in Scriptura S. duplex occurrat justificatio peccatoris, quarum una civilis seu politica & humana: altera spiritalis & divina dicenda, de utraq; harum dispiciemus. Et quidem de priori illâ legitur Prov: xvii. 15. *justificans impium & impium faciens justum, abominabiles Domino sunt ambo.* Quæ verba de injusto judice loquuntur, & dicunt, quando injustus judex impium justificat, tunc judicium ejus injustū sive iniquum esse & Deo abominabile; & iterum, quando justum condemnat, judicium ejus esse iniquum. Iudex autem injustus impium justificat, non ut justitiam ipsi infundat, aliàs hoc ejus judicium non esset Deo abominabile: nam justitiam impio infundere, ut intrinsecus immutetur, & ex impio fiat justus Deo minimè est abominabile; siquidem, *quæ convertere fecerit peccatorem ab errore vite sue, salvam faciet animam ex morte*, Jac. v, 20. Similiter II Sam. xv, 4. Absolon dicebat: *quis ponet me judicem in terra, ut ad me veniat omnis vir, qui rem in judicio habet, & justificabo eum?* Ubi Absolon judicis partes in Israële sibi sumebat, dicens; se justificaturum eum, qui causam habeat cum altero, & qui in judicio

cum altero contendat. Ubi sanè *justificare* idem est, quod
justitiam administrare, non verò justitiam alicui infundere.
Dignus quoque qui afferatur est locus Deuteron. xxv, 1.
*Cum fuerit lis inter homines, & venerint in iudicium, judicent
eos, justificent justum, & condemnent impium.* Ubi in Hebræo ver-
bum *הצדיק* *justificare*, opponitur verbo *הרשיע* *condemna-*
re, & *justificare* justum idem est, quod innocentem absol-
vere, sed impium facere eum, qui impius est, idem est, quod
impium condemnare, & ita judicialiter declarare, quod
impius sit, poenâ justâ ei irrogatâ. Confer Exod: xxiii. 7.
Esa: v. 23. & similia. Et ita satis manifestum esse existima-
mus, quod quando de foro civili sermo est, *justificare* idem
fit quod absolvere à crimine imputato, pro justo reputare.

IV. Eodem modo res sese habet in foro Dei, quan-
do de justificatione spirituali ac divina hominis peccatoris
coram iudicio Dei de professo agitur; idem enim nunc de-
notat, nempe absolvere à peccatis, ac justum pronun-
ciare. Notissima sunt clara Scripturæ dicta. Sic enim
Apostolus Rom. 111. 24. *iustificantur gratis, illius gratiâ
per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* v. 26. *iustificare eum quæ
est ex fide Iesu,* v. 28. *Arbitramur fide iustificari hominem absq; o-*
peribus legis. In quibus locis verbum *iustificare* nihil aliud
denotat, quàm à peccatis absolvere, declarare justum, ju-
stû reputare. Quod probamus (1.) ex antithesi, quia verbo *ju-*
stificare apertè opponitur *condemnare*. Rom. 11 x, 33. 34. *Deus
est, qui iustificat, quis ille qui condemnet?* Similis autem iustifi-
cationis & condemnationis est Roman: v. 16. *Reatus
quidem ex uno delicto ad condemnationem: donum autem ex multis
delictis ad justificationem* v. 18. *sicut per unius delictum propagatum
est malum in omnes homines ad condemnationem: ita & per unius
justificationem propagatur bonum in omnes ad justificationem vitæ.*
Quia igitur oppositum vocis *iustificandi* est forensis signifi-
cationis

cationis, etiam ipsa vox *iustificandi* erit forensis significati-
onis. (2) è phrasibus æquipollentibus, quia Apostolus *iusti-*
ficare per imputare iustitiam Roman: IV, 3. *fidem imputare ad*
iustitiam v. 5. *remittere iniquitates, tegere peccata* v. 7. *remittere*
peccata Roman: III, 25. *condonare peccata* Colofs: II, 13. *per-*
servari ab irâ, Deo reconciliari, exponit.

V. Habent nihil ominus Adversarij loca quædam
Scripturæ, quæ pro sese afferri posse putant, in quibus vo-
lunt verbum *iustificare* non habere forensem, quam modò
diximus, significationem, sed idem esse ac infundere ju-
stitiam. Talia autem sunt I. Cor: V I, II. *abluti estis, sanctificati*
estis, iustificati estis. Tit. III, 6. 7. *Spiritum S. effudit in nos copiosè,*
ut iustificati illius gratiâ, hæredes efficeremur iuxta spem vitæ
æternæ. Apocal. XXII, II. *qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui*
sanctus est, sanctificetur adhuc. Verùm loca hæc non evin-
cunt id, quod Pontificij volunt, nec est difficilis ad illa re-
sponso. Ad primum itaque dicimus, justificationem ibi
apertè à sanctificatione distingui, & justificationem hîc op-
timè pro remissione peccatorum accipi posse. Nec Apo-
stolus in eo fuit, ut hîc justificationis doctrinam de pro-
fesso traderet, sed saltem de Corinthiis, quomodo illi con-
versi & baptizati sint, indicaret. Ad (2) dicimus, significa-
tionem, quam volumus, forensem hîc quoque rectissimè
retineri posse, ita ut sensus sit, Spiritum Sanctum in nos ef-
fudit copiosè, ut postquam iustificati, hoc est, à peccatis im-
putatione meriti Christi jam absoluti sumus, certissimam
spem adeundæ sive consequendæ hæreditatis æternæ illâ
Spiritus S. infusione habeamus. In Apocalypso loco
verborum sensus commodissimè hic esse potest: qui iustus
est, hoc est, qui per fidem in Christum remissionem pec-
catorum adeptus, & ita iustificatus est, is fidem continuan-
do pergat esse iustificatus & iustus. Plura, quæ Bellarminus
lib. II.

lib. ii. de justific. cap. 3. urget hinc percensere, operæ pretium esse non existimamus, cum operosâ responsione vix indigeant, tum quod etiam ipse Vega, qui ipse Concilio Tridentino interfuit, Patresque de justificatione disputantes audivit, *Verissimum esse quod iustificare sit absolvere*, veritate rei constrictus, dudum asserere sit coactus lib. xxv. de justificat. cap. v.

VI. Hisce ita præmissis, porrò de eo, quid justificatio sit, lubet dispicere. Est autem ea actio totius SS. Trinitatis forensis seu judiciaria, quâ hominem peccatorem sententiâ legis & propriæ quoque conscientiæ testimonio, de promeritâ æternâ damnatione accusatum & convictum sed ad thronum gratiæ confugientem à peccatis absolvit, & in hæredem vitæ æternæ adoptat, idque ob plenissimam Christi satisfactionem verâ fide apprehensam. Unde patet, justificationem hominis peccatoris coram iudicio Dei esse ex eorum numero, quæ opera Trinitatis ad extra dici consueverunt, quæ sunt indivisa; adeoque tribus divinitatis personis communia, ac proinde non tantum Deo Patri, verum etiam Filio, & Spiritui S. illa adscribitur. Patri, Rom. **ix, 31, 32, 33.** *si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est, qui iustificat.* Rom. v. 8. 9. *Commendat caritatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Multò igitur magis iustificati nunc sanguine eius servabimur per eum ab irâ.* Filio tribuitur Matth. ix, 2. ubi Iesus dicit paralytico: *Bono animo esto, fili, remittuntur tibi peccata.* Similiter peccatrici, Luc. vii, 48. *remissa tibi sunt peccata.* Spiritui S. I. Cor. vi, 11. *abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri.* Ubi totius SS. Trinitatis fit mentio, Benè Cyril.

Cyrillus [citante Gerardo] lib. v. de Trinitate Tom. II.
ag. 341. Non seorsim quidem Deus & pater, seorsim autem & pro-
priè Filius; sed quæ esse intelligitur justificatio à Patre, ea omninò
est & Filij, & quam Filius largitur, ea est & P atris.

VII. Ad meliorem autem hujus doctrinæ intelligenti-
am, & ad controversias, quæ Ecclesijs nostris circa eam cum
Pontificijs intercedunt, dignoscendas, in principia & cau-
sas justification. distinctius paulò inquirendū venit. Causam
itaque efficientem principalem, quod attinet, est illa Dei
φιλανθρωπία, gratia, h. e. gratuitus Dei favor ac benevolen-
tia; alijs quoque causa impulsiva interna dicta, quippè quæ
Deum movet & impellit, ut per prædicationem Evangelij
fidem in nobis accendat, & ob Christi meritum fide appre-
hensum homines justos pronunciet & peccata remittat. Sic
enim Apostolus Roman: III. 24. *justificantur gratis, illius
gratiâ, per redemptionem quæ est in Christo jesu.* Eph: II. 4. *Deus,
qui dives est in misericordia, propter multam caritatem suam, quâ
dilexit nos, cum essemus in peccatis mortui, convivificavit nos in
Christo* 1. Pet. I, 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri jesu
Christi, qui ex multa sua misericordia genuit nos in spem vivam,
per resurrectionem jesu Christi ex mortuis.* Tit: II. 4. *Cum beni-
gnitas & humanitas Salvatoris nostri apparuit, non ex operibus
justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam salvos nos
fecit.* 1. Ioh: I. 8 9. *Deus est caritas. Per hoc patefacta est caritas
Dei in nobis, quod filium illum suum unigenitum misit Deus in mun-
dum, ut vivamus per eum.* Confer: Esa: XLIII. 5. Sed de hoc
inter nos & Pontificios nullus est dissensus; illi enim agnos-
cunt nobiscum, quod Deus sive tota SS. Trinitas sit no-
stræ justificationis causa efficiens, ita enim manifestè Patres
Concilij Trid. Sess. VI. cap. VII. *Efficiens justificationis causa est
misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat, signans & un-
gens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ.*

B

IIIX. Cau-

II X. *Causa meritoria, quam aliàs causam quoque impulsivam externam vocant, est mors & satisfactio Servatoris Iesu Christi $\Upsilon\epsilon\alpha\upsilon\chi\alpha\rho\pi\tau\epsilon\varsigma$, qui est factus propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis. 1. Ioh. II. 2. Ubi tamen notandum, mortem ac satisfactionem Christi non ut nudi tantum hominis, sed ut ipsius Filij Dei mortem ac satisfactionem hinc considerari, Unde DEVM proprio suo sanguine Ecclesiam redemisse dicitur Actor. xx. 28. item: Sanguinem Iesu Christi Filij Dei nos emundare ab omni peccato, 1. Ioh. I. 7. Cum enim nemo hominum, imò ne Angelorum quisquam ingens hoc beneficium præstare potuerit, ut dederit sese $\alpha\upsilon\lambda\lambda\omicron\upsilon\tau\epsilon\omicron\upsilon$ pretium redemptionis pro omnibus, 1. Tim. II. 6. fieretque propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioh. II. 2. ideò ipse Dei Filius hoc in se suscepit, & in plenitudine temporis homo factus, legi semetipsum subiecit, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, Galat. IV. 4, 5. Christus igitur iram Dei peccatis nostris debitam in se derivavit, & hac ratione nos Patri suo reconciliavit, juxta illud Pauli Roman. V. 10. *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.**

II X. *Neophotimiani itaque non sunt audiendi, qui apertè hoc evertere, & publicis suis scriptis propugnare, non verentur, Christum nec per hoc, quod legi subditus perfectè eam obedientià implevit, nec quod pœnas peccatis debitas sustinuit, vel iram Dei placasse, vel iustitiæ satisfecisse, imò ne quidem satisfactione opus fuisse, cum DEVS liberà voluntate & absolutà bonitate, non ob meritum aliquod Filij peccata condonet, & vitæ æternæ participes faciat illos, qui Christi verbo credunt, & vitæ innocentiae student: Christum quidem perfectè implevisse legem, sed ad obedientiam illam pro semetipso adstrictum fuisse: Christum dici Redemptorem nostrum, id verò de metaphoricâ quâdam redem-*

redemptione intelligendum esse, in quâ peragenda nullum inter-
venit precium: Christum dici Salvatorem nostrum, non quia pro
peccatis nostris satisfecerit, ac vitam æternam nobis promeruit,
sed quia salutis viam nobis annuntiaverit, eandem effusione san-
guinis sui confirmaverit, & exemplo suo præmonstraverit: deni-
que quia potestate à Patre acceptâ vitam æternam nobis sit datu-
rus. Hæc omnia infaustissimus ille Faustus Socinus lib.
I. de Christo Servatore cap. I. & seqq. Quibus negat,
Christum suâ passione & morte Deo, generi humano ob
peccatum irato satisfecisse, & homines illâ suâ passione
& morte ab irâ Dei & pœnis æternis verè proprièque re-
demisse. Omnia certè contra manifesta Scripturæ loca,
quæ Christum mediatorem ac redemptorem nostrum,
qui sit *ἱλασμός* pro peccatis nostris, per quem simus Deo
reconciliati, qui vitam suam dederit *λύτρον καὶ ἀντίλυτρον* pro
nobis, suscipiens in se peccata & pœnas peccatorum no-
strorum, ac sanguinem suum pro illis fundens, ut deleto,
quod contra nos erat, Chirographo, à maledictione le-
gis, ab irâ Dei, & æternâ damnatione liberi, in ipso co-
ram Deo essemus justi & dilecti, clarè esse demonstrant
I. Tim. II. 5. Roman, III. 24. I. Ioh. II. 2. cap. IV. 10. II.
Cor. V. 18. Matth. XX. 28. Marc. X. 45. I. Ioh. I. 7. Coloss. II.
14. I. Thess. I. 10. cap. V. 9. II. Cor. V. 21. Manet itaque,
Christum ejusque mortem & satisfactionem justificationis
nostræ causam meritoriam esse.

X. Pontificij, licet nobiscum illi sentiant & fatean-
tur, Christum ejusque mortem esse justificationis nostræ
causam meritoriam, ita enim apertè Concilium Trident.
Sess. VI. C. VII. *Meritoria (causa) est dilectissimus unigenitus Do-
minus noster Iesus Christus, qui cùm essemus inimici, per nimiam
caritatem, quâ dilexit nos suâ sanctissimâ passione in ligno crucis
nobis iustificationem meruit.* Et Bellarminus lib. I. de justifi-

hic. cap. 11. *Efficiens iustificationis per modum meriti est Christi passio.* Item lib. 2. de iustific. c. 2. *Si particula PROPTER significet causam meritoriam, nos iustificari dicemus propter meritum Filij Dei: nihilominus ei merita operum in iustificatione deinde adiungunt, parum advertentes, quod Scriptura hæc invicem opponat, Rom. xi. 6. Si ex gratia (propter Christi meritum) iam non ex operibus nostris.* Imò Christum iustificationis nostræ causam meritoriam esse asserunt, quatenus Deus eo moveatur tantum ad iustitiæ habitum nobis infundendum. Ut non dicam de eo, quod Christum mediatorem nostrum secundum utramque naturam esse negent. De quo videatur doctiss. noster Gerhardus Tom. III. Loc. Comm. loco de iustific. cap. 3. §. 4, per totum. Ne verò quis existimet, inter se pugnare, homines salvari per gratiam Dei, & simul iustificari per redemptionem factam in Christo Iesu, sciendum, hæc minimè esse opposita, quorum unum excludat alterum, cum totum illud Dei gratiæ ac misericordiæ tribuendum sit, quod pro miseris hominibus Diaboli fraude ac seductione in peccata gravissimè prolapsis *filium suum unigenitum in mortem tradidit* Rom. ix. 32. ut is esset *propitiatio pro peccatis, non nostris tantum, sed totius mundi* I. Ioh. 11. 2. *Licet igitur iustificatio non sit gratuita respectu Christi mediatoris ac Redemptoris, est tamen illa merè gratuita respectu obiecti iustificandi hominis scilicet peccatoris, in quo nihil omninò dari potest, cuius intuitu mereatur à peccatis absolvi, sed quantum quantum est, eget gloriâ Dei sicuti Dn. D. Pæses nos docet, Disp. Inaugur. de iustific. §. 12. in fine.*

XI. Expositâ causâ iustificationis principali (quam Dei *φιλαγρωπία* vel gratiam ac gratuitum Dei favorem & benevolentiam diximus) & meritoriâ, (quam mortem & satisfactionem Servatoris *θειήρωπυ* esse asseveramus) de in,

de instrumentalibus ordine id sic exigente, iam agendum venit. Illæ autem à parte Dei sunt ipsius verbum & Sacramenta, per quæ & in quibus beneficia Christi hominibus offeruntur, imò per quæ Spiritus S. vult esse efficax in cordibus hominum, fidemque in illis accendere, augere & confirmare. Disertè enim Paulus Roman. x. 17. *fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Ministri quoque Ecclesiæ, qui Evangelium de gratuita peccatorum remissione nobis annunciant, causa justificationis nostræ instrumentalis dici possunt, qui *predicent in nomine Jesu pœnitentiam & remissionem peccatorum inter omnes gentes,* Luc. xxiv. 47. ac proinde *iustificare* dicuntur (aut ut Vulgatus reddidit, ad justitiam erudire) *multos,* Dan. xii. 3.

XII. De causa materiali seu potius objecto justificando, quod est homo peccator vel impius, sed qui seipsum agnoscit ut perditum hominem, & abjecto peccandi proposito, in Christum credit, non est, quòd multa afferamus. Accedimus potius statim ad causam formalem, quæ consistit in remissione seu non imputatione peccatorum, & imputatione justitiæ Christi. Sic enim clarè & apertè Apostolus: Rom. iv. 7, 8. *beati quorum remissa sunt peccata, beatus vir, cui Dominus non imputat peccatum.* Ex quibus & præced. vers. 6. videre licet, homines peccatores, non per propriam nobisque inhærentem, sed per alienam justitiam formaliter coram Deo justos constitui. Vbi tamen observandum venit, à nobis non negari quod in homine peccatore, quando coram Deo justificatur, aliqua simul fiat interior animi mutatio, & qualiscunque justitia inhærens in ipso à Spiritu S. efficiatur. Per injuriam itaq; Pontificij, & nominatim Becanus Manual. lib. i. c. xvi. §. 5. & qu. ii. n. i nobis imponunt, quasi statuamus, homines peccatores, licet nullam agant pœnitentiam, modò credant,

peccata propter Christum sibi remitti, coram Deo tamē iustificari, & ita, ut peractā justificatione nulla interior animi mutatio in ipsis fiat. Iustificatio certē fit per fidem. Fides autem non cadit nisi in cor contritum, quod videlicet de admissis peccatis dolet, & propositum peccandi abiecit. Deinde, eodem momento, quō Deus fidem imputat ad iustitiam, donat quoque interius renovationis initium, & ita homo non quidem *per ipsum actum* justificationis, tempore tamen simul *cum ipso actu* justificationis, interius in melius mutatur, accepto Spiritu novo, qui ipsum ad emendationem vitæ deinceps impellit, & simul exercitio bonorum operum in eo indies incrementum capit, ut ita *renovetur de die in diem* II. Cor. IV. 16.

XIII. Pontificij contrā formalem justificationis causam simpliciter constitutam volunt in iustitiæ infusione, ita ut ratio formalis, per quam homo coram Deo sit iustus, sit ipsa inhærens & à Deo nobis infusa iustitia. Ita enim Patres Concilii Trid. Sess. VI. cap. VII. *Vnica formalis causa (iustificationis) est iustitia Dei, non quā ipse iustus est, sed quā nos iustos facit; quā videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quā Spiritus S. partitur singulis, prout vult & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Et post pauca interjecta: *id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis meritò, per Spiritum S. caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorū hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem spem & caritatem.* Unde in diversum Can. 10. ab illis sentientes anathema, sed bruto fulmine evibrant: *Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, per quam nobis me-*
ruit

vult iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, anathema sit. Pari modo Bellarminus quoque lib. I. de Iustific. cap. II. *Causa, inquit, formalis intrinseca est ipse habitus gratiae sive charitatis infusus. Causa formalis extrinseca, quae & exemplaris dicitur, est ipsa Christi iustitia. Denique formalis causa non in habitu, sed in actu, sunt ipsa opera iusta, quae etiam effectus iustitiae vel iustificationis dici possunt.*

XIV. Fundamenta autem quibus innituntur, & pro sententiâ suâ, inhærentem videlicet, non verò imputatam Christi iustitiam esse formalem nostræ justificationis causam, afferre solent adversarii, collegit Cardinalis lib. II. de justific. cap. III. quorum duo saltem hic apponemus. Primum itaque argumentum desumit è Paulo, Roman. v. 17. 18. 19. *Si per unius delictum mors regnavit per unum, multò magis ij, qui exuberantiam gratiae & doni iustitiae accipiunt in vitâ, regnabunt per unum Iesum Christum. Itaque sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem: ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes ad iustificationem vitæ. Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius iusti constituentur multi.* Sed R. Apostolum hinc non amplius naturam & formalem justificationis causam, sicuti in præced. cap. III. & IV. fecerat explicare, sed agere de Autore & causâ meritoriâ justificationis & salutis post lapsum reparatæ, ac institutâ inter Adamum & Christum comparatione ostendere, quod sicut Adamus suâ inobedientiâ & transgressione legis divinæ autor fuerit damnationis omnium hominum: Ita Christus suâ obedientiâ autor sit reparatæ salutis & iustitiæ omnibus hominibus: In quo autem illa iustitia consistat, id in isto textu non exprimitur. Bellarminus quidem dicit, iustificare h. l. idem esse, quod iustum facere
per

per iustitiam infusam seu inhaerentem, at, hoc falsissimum est, nec unquam probari potest. Nam quod urget phrasin istam: *iusti constituentur multi*, causam eius nihil iuvat: non enim necessum est, ut qui iusti coram Deo constituentur, statim iusti constituentur per infusam iustitiam, cum plures dentur modi, quibus peccatores iusti possint constitui. Placet hanc rem illustrare exemplo: Si quis in Civili iudicio ob delictum aliquod in carcere detineatur, iam supremo & ultimo supplicio afficiendus, fiat autem, ut alterius intercessione & solutio precio iudex ipsi condonet delictum, atque ita supplicio aliis mulctandus ille absolvatur a iudice; is sane iudicialiter constituitur iustus, dum absolvitur a delicto, poena ipsi remittitur, nec tamen iustus constituitur per iustitiam infusam, sed per condonationem delicti & absolutionem iudicis: ita etiam in foro divino, postquam Christus sua passione & morte satisfecit, pro omnium peccatis, constituentur coram Deo iusti, quotquot vera fide Christi meritum apprehendunt, idque Patri coelesti sistunt tanquam sufficientissimum *λύτρον* pro peccatis, & eius intuitu remissionem peccatorum quaerunt. Unde invertimus argumentum & dicimus: Multi constituentur iusti per obedientiam Christi, h. e. per & propter Christi iustitiam fide apprehensam. Ergo non constituentur iusti per inhaerentem iustitiam.

XV. Alterum, idque non minus infirmum argumentum, desumptum est ex Roman. 11 x. 29. *quos praescivit, eosdem & praeservavit, ut sint conformes imagini Filij sui.* 1. Cor. xv. 49. *quemadmodum gestavimus imaginem terreni, gestabimus & imaginem caelestis:* Hinc argumentantur ita:

Quicumque conformes sunt imagini Christi, & portant imaginem Christi: illi non sunt iusti per imputationem iustitiae Christi;

Christi, sed per inhaerentem sibi iustitiam. Atqui iustificati sunt conformes imagini Christi, & portant imaginem Christi.

Ergo iustificati iusti sunt non per imputationem iustitiae Christi, sed per inhaerentem sibi iustitiam.

Sed R^{mus} negando Majorem, siquidem non necesse est, ut qui conformes sunt imagini Christi, iustificentur per inhaerentem iustitiam; aliud enim est, iustitia quae coram Deo valet, & per quam nos peccatores coram Deo constituimur iusti: aliud vero est imago Christi in nobis. Imago enim Christi, quam gestamus in hac vita imperfecta est in nobis. iustitia autem, quae coram Deo valet ex fide IESU Christi est, Roman. III. 22. In Christo quidem imago Dei & iustitia inhaerens perfecta erat, & per illam quoque absolute iustus erat coram Deo. In nobis autem imago Christi tantum est inchoative, & in hac vita imperfecta, & proinde minime iustitia illa, quae coram Deo valet: in altera autem vita ea in nobis erit perfecte, ubi Christus transformabit corpus nostrum humile ut fiat *συνουποποι* corpori suo glorioso, Phil. III. 21. Reliqua ipsorum argumenta, eo directa ut probent, iustitiam nobis inhaerentem esse formalem justificationis nostrae causam, videri possunt apud Bellarmin. lib. & cap. §. XIV. cit. Inter illa autem ne unicum quidem est, quod idoneum sit ad probandum id, quod volunt, sed omnia lubrica sunt & infirma, ex varijs Scripturae dictis male, & praeter sensum, quem Spiritus S. proxime & immediate intendit intellectis elicita.

XVI. Quicquid autem a nobis dissentiant, nostramque sententiam de imputata Christi iustitia impie ac inique proficiant, larvatam, fictitiam, putativam, dementem insaniam, spectrum cerebri Lutherani illam vocantes, nihilominus illam admittere, & in nostras ire partes coguntur. Ita enim ex re & vero Franciscus Costerus Jesuita in Enchirid: cap: vi.

C

solu-

solutione noni argumenti hæreticorū: interna, inquit, Christi
 iustitia, nō potest homini imputari, sed iustitia operū, hoc est o pera
 eius iusta, hoc modo imputantur, ut cum nullæ vires humanæ, nulla
 mortalium opera nullæ perpeſſiones aut pœnitentiæ, denique nihil
 quod in homine est, possit mereri remissionem peccatorum, aut par
 esse justificationi impetrandæ, divina tamen iustitia necessariò exi
 gat opera & satisfactionem pro peccatis ab hominibus commissis;
 Christus suam passionem, sua iusta opera, sua merita Deo Patri in
 satisfactionem pro peccatis nostris obtulerit, quæ à Patre pro nobis
 accepta **NOBIS IMPUTENTVR**, nobisque applicentur atque
 si ea ipsi edidisset. Valet enim solutio amici pro amico, & ma
 ximè amici talis ac tantæ bonitatis, apud Patrem misericordiarum
 & Deum totius consolationis, qui non vult mortem peccatoris, sed
 ut convertatur & vivat. Georgius quoque Cassander, mo
 deratissimus illarum partium scriptor, in Consultat. Artic.
 de Iustific. apertè scribit: Hoc extra controversiam est, iustiti
 am illam, qua iustificamur, consistere in remissione peccatorum, hoc
 est, cum propter meritum passionis Christi, quam suscepit nostrâ cau
 sâ, peccata nobis non amplius imputantur, quod nihil aliud est, quàm
 ipsum Christi meritum ad remissionem peccatorum nobis imputari.
 Atque hoc est, quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem ad
 iustitiam eam videlicet fidem, quâ credimus in eum, qui **CHRISTVM**
 suscitavit à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & re
 surrexit propter justificationem nostram. Adde, quod ipsi ad
 versarij moribundos, qui ad mortem feliciter obeundam
 præparantur, non ad iustitiâ sibi inhærentem, sed ad solius
CHRISTI iustitiam & merita unicè remittant. Quapropter
 in Agendis ipsorum Ecclesiasticis Veteribus & recentiori-

vid. nigress. bus cum moribundis ita agere solent. Sacerdos; *Credisne te nō*
 de arte no- *posse salvari, nisi per mortem Christi?* respondet infirmus, etiam: *tum*
 vāD. Calix- *dicit illi; Age ergo, dū superest in te anima, in hâc solâ morte fiduci-*
 ti pag. 443. *am tuam constitue, huic mortî te totum committe, hâc solâ te totum*
 446.

com-

contege, in hac totum te involve. Et si Dominus Deus te voluerit judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obijcio inter me & tuum iudicium, aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit quia peccator es, dic: mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter te & peccata mea. Si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obtendo inter me & mala merita mea, ipsiusque merita offero pro merito, quod ego debuissim habere, nec habeo. Si dixerit, quod tibi est iratus, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi, oppono inter me & iram tuam. Moribundos autem involvere se in Christi morte, & merita Christi offerre pro merito, quod debuissent habere, nec habeant, quid, quaeso, aliud, quam moribundos Christi meritum & iustitiam sibi imputari, petere ac postulare?

XXII. Quanquam autem ipsa haec Christi iustitia, ut & eius omnia merita sint universalia, ac pro omnibus omnino hominibus praestita, ut §. 1. affirmatum est, nihilominus eorundem fructum illi demum percipiunt, qui illa salutariter sibi applicant, quod non aliter a parte nostra quam fide ceu instrumento fieri, constanter asserimus. Vbi de fide justificante, causa justificationis instrumentali a parte nostrâ agere, consentaneum erit. Fides autem haec, in Scripturis plures admittit significationes, semel enim fidelitatem seu constantiam dictorum & factorum significat. Ita de Deo dicitur, quod *omnia opera eius sunt in fide*, Psalm. xxxiii, 4. Deinde fides singularem quandam miracula edendi potentiam denotat: de qua Paulus I. Cor. xiiii, 2. *si habuerò omnem fidem, ita ut montes loco dimoveam*; porro notitiam, assensum & fiduciam in Scripturis quoque designat; quæ tamen significationes omnes satis commodè ad duas classes possunt referri & fides considerari, prout respectum importat ad intellectum & ad voluntatem.

intellectum refertur, tunc includit notitiam & assensum
eorum, quæ in scriptura nobis credenda proponuntur. Un-
de Apostolus Rom. x, 14. *quomodo credent, quod non audierunt?*
Et Ioh. xx, 31. dicitur: *hæc scripta sunt, ut credatur.* Non
autem nudus tantum vel generalis hic intelligi debet as-
sensus, quo omnibus in scriptura revelatis gratiæ promissio-
nibus fideique articulis fide solummodo historicâ gene-
ratim assentimur, cum ille in Damones, hypocritas & im-
penitentes quoque cadere possit, qui tamen meritum Chri-
sti sibi salutariter non applicant, nec proinde, quoad tales
permanerint, justificantur: sed potius specialis vel fiducia-
lis assensus requiritur, ut unusquisque fidelium mortem,
satisfactionem & meritum Christi sibi applicet & quando
in scriptura dicitur, Christum pro OMNIBVS mortuum
esse 11 Cor. v, 15. Deum velle OMNES salvos fieri. Tim.
ii, 4. Deum pro OMNIBVS filium suum tradidisse, Rom.
ix, 32. quilibet sub hisce de semetipso tuto subsumat, ac
omnia, quæ Christus obedientiâ passione & morte suâ ho-
minibus promeritus est, ad sese in individuo pertrahat,
Deumque propter Christi merita isto modo sibi in indivi-
duo applicata, se habere propitium sibi persvadeat, qui pec-
cata ipsi non amplius imputet, sed remittat ac tegat. Ad
voluntatem quando refertur fides, importat firmam cor-
dis fiduciam. Ita legitur in Epist. Iacobi Cap. i, 5, 6. *quod si
cui vestrum deest sapientia, postulet à Deo, qui dat eam omnibus be-
nignè -- sed postulet et misericorditer, cum fiducia, nihil hæsitans.* Hinc
Christus Matth. xiv, 31. Petrum vocat *πέτρος*, hominem
exiguâ fide præditum, propterea, quòd fiduciam tum non
poneret in ope Christi. Fiducia hæc est quasi ultimum com-
plementum fidei justificantis.

XXIII. Quemadmodum autem fides justificans du-
pliciter considerari potest, primò materialiter pro fide, quæ
justi-

justificat, secundò formaliter seu reduplicative pro fide ju-
stificante, quatenus est justificans: ita etiam objectum ejus
duplex potest dari. Fides materialiter accepta pro
objecto habet omnia divinitus revelata: fides autem forma-
liter accepta, seu quâ talis, & quatenus justificans est, pro
objecto habet Dei gratiam seu misericordiam & meritum
Christi. Quemadmodum enim Deus homines justificat suâ
gratiâ, hoc est, gratuito suo favore per redemptionem fa-
ctam in Christo Iesu: ita etiam fides justificans speciatim fer-
tur cùm in Dei gratiam seu gratuitum Dei favorem creden-
tibus in Christum ejusdem merita imputare paratum, tùm
ante in Christi satisfactionem & meritum ipsum. In illam,
tanquam in causam impulsivam internam, quæ Deum mo-
vet & impellit, ut justificare nos velit; in hoc, tanquam ju-
stificationis nostræ causam meritoriam. Et hinc est, quod
Paulus docet, *hominem justificari per hoc, quòd credat in EUM,*
qui justificat impiû, Rom. iv, 5. & simul per fidem in sanguine Chri-
sti Cap. præced. iii, 25. Scilicet gratia, seu gratuitus Dei fa-
vor & meritum Christi indissolubili nexu cohærent, ita ut
meritum Christi illud sit, propter quod Deus ex merâ suâ
gratiâ ac misericordia nobis peccata remittat. Quamvis e-
tiam meritum Christi absolutè fidei justificantis objectum
vocari soleat quod nimirum illo apprehenso, homo coram
Deo justificatur, ejusq; solius intuitu peccata ipsi remittun-
tur. Et quod istud proprium, quäle diximus, fidei justifican-
tis objectum sit, patet ex pluribus Scripturæ locis, in quibus
de professo, & quasi in propria sede de fide justificante agi-
tur. Talia autem sunt: Rom. iii, 24. Justificantur gratis ipsi-
us (Dei) gratiâ, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem
proposuit Deus in æterni propitiationem per fidem in sanguine i-
psius, Rom. iv, 24, 25. Non propter Abrahamum solum hoc scri-
ptum, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui

suscitavit Iesum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter peccata nostra & excitatus est propter justificationem nostram, Rom. x, 4, 9. Christus est perfectio legis omniconfidenti — si credideris in corde tuo, quòd Deus Iesum suscitaverit à mortuis, salvus eris, Actor. x, 43. Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accepturi sint per nomen eius, qui credunt in eum. Ioh. III, 16. dicit Christus ipse: Deum sic dilexisse mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credat in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Manet proinde, quod omnis qui in eum credat, non debeat pudeferi, Rom. x, 11. Pulchrè super hanc re Cyrillus lib. iv. in Iohann. cap. xxiv: Vides, inquit, quomodo à peccatis, & à prava iniquitatis viâ nos revocet, ut delictorum remissionem per fidem Christi consequi possimus, justificamur enim non ex operibus legis, sed gratiâ Christi, quæ desursum nobis per misericordiam Dei concessa est. Eodem spiritu Bernhardus serm. i. de Annunc. Mar. Si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, benè facis: sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus S. dicens, dimissa sunt tibi peccata.

XXXIV. Expositio jam, fidei justificantis objecto, quod est gratia Dei & Christi meritum, ulterius de eisdem actibus dispiciendum venit. Sunt autem illi in duplici differentia, quidam sunt Communes seu generales; quidam verò proprii & speciales. Communes seu generales sunt, qui feruntur in objectum in se consideratum, seu, qui pro objecto habent omnia divinitus revelata, etiam meritum Christi in se consideratum, sine applicatione eius ad credentem, v. g. cum quis credit, Christum hominem esse factum, eum natum esse ex muliere, passum, mortuum, eum resurrexisse, esse Redemptorem mundi, Deum remittere hominibus peccata, &c. Et hi actus non tantum sunt in fidelibus,

delibus, & verè credentibus, verùm etiam impœnitentibus
& hypocritis, imò quoque ipsis Dæmonibus sunt commu-
nes, nam & illi quoque Deum esse credunt Iac. II, 19. pro-
inde in justificandis quidem necessariò eosdem esse debe-
re dicimus, quoniam sine illarum notitiâ nemo Christi me-
ritum sibi applicaverit, at vim justificandi eos habere per-
negamus, cùm, ut modò diximus, illi tanquam generales in
impœnitentes, hypocritas & Dæmones cadere possint. Pro-
prij autem sive speciales fidei justificantis actus sunt, qui
feruntur in objectũ cum applicatione ejus ad credentem,
quales sunt, cùm sub hâc universali: *Christus pro omnibus tra-*
ditus est, assensu fiduciali subsumo: Ergò & pro me traditus
est. *Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi.* Ergò eti-
am passione & morte suâ pro peccatis meis satisfecit.
Christus dedit se λύτρον pretium pro omnibus hominibus. Ergò
pro me quoque dedit sese sufficientissimum λύτρον, quòd
eodem loco Deus habet, ac si ego ipse illud præstitissem.
Deus mortem filij sui sibi applicantibus ex gratia vult re-
mittere peccata. Ergò & mihi, filij sui mortẽ mihi in specie
nunc applicanti, etiam ex illa sua gratiâ vult remittere pec-
cata. Et hi actus, quos proprios sive speciales vocamus, illis
competunt, qui coram Deo justificantur. Hos verò jam
alij actus intellectus & voluntatis sequuntur, ut, cùm quis fi-
ducialiter porrò credit, peccata sibi propter Christum esse
remissa; quod tamen non ratione temporis sed ratione or-
dinis naturæ sequi est intelligendum.

XXV. Sententia hæc nostra utut rectè sese habeat,
Pontificij tamen iterum à nobis hic dissident, docentes, fi-
dei non aliâ ratione tribui quod justificet, quàm quod sit di-
spositio ad justificationem, vel sit initium & radix prima ju-
stificationis. *Per fidem ideò justificari dicimur, quia fides est sa-*
lutis humanae initium, fundamentum & radix omnis justificationis,
ut

ut loquuntur Patres Tridentini sess. vi. cap. iix. quam opinionem pluribus quoque inculcat Bellarm. lib. i. de justificatione. cap. xiiii. scilicet intelligunt illi per fidem nudum tantum credendorum assensum & hoc assensu dicunt hominem disponi ad spem & caritatem. Deinde autem, quando ultima dispositio adest, tunc Deum infundere putant justitiæ habitum, per quem homo formaliter coram Deo constituatur justus. Fides igitur causa justificationis erit remotissima, & primum ejus initium & radix seu dispositio prima ad justitiam infundendam. Quæ opinio S. Scripturæ planè repugnat: si enim fides sese haberet ad justificationem ut causa remota, & ut initium & prima dispositio ad justificationem, certe non posset dici, quod *fide justificetur homo, quod justitia sit per fidem, quod quisquis credit in Christum, habeat vitam æternam*. Positâ videlicet fide juxta indicium S. Scripturæ statim ponitur justificatio, & remotâ fide eadem tollitur. Neque alius hic excogitari potest modus, quò fides ut causa proxima influat, in actum illum, quò Deus hominem reputat justum, quam vi objecti sui, quod apprehendit, Deum movendo, eique sufficiens *λύτρον* pro peccato exhibendo, ut ejus intuitu nos a peccatis absolvat.

XXVI. Bellarminus quidem hinc in producendis Scripturæ locis iterum operosus est, ut sententiam illam suorum probet, sed quàm frivola sint, facile patet. Iuvat duo saltem ex illis jam apponere (1) urget Cardinalis verba Auctoris Epistolæ ad Hebræos Cap. xi, 6. *qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum*. Ad quem locum Concilium Trid. quoque provocat Sess. vi. cap. iix. ita sanciens: *Tribuitur fidei prima motio in Deum, per quam is, qui longè erat, jam incipit appropinquare*. Sed R. verbis illis nihil aliud doceri, quàm hoc, quod nemo ad Deum venire possit, nisi, credat Deum

Deum esse ; quod autem per hoc , quod quis credat Deum esse, coram Deo justificetur, ibidem non docetur. Nos autem agimus hîc de fide justificante, quæ plus requirit, quàm ut quis credat Deum esse, & cui Scriptura claris verbis tribuit, quod nos justificet. Aliud proinde est accedere ad Deum, aliud verò justificari, cùm hoc in momento, illud autem per dispositionem primam fieri possit. Deinde adducit verba Ioh. 1, 12. *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen eius.* Quibus verbis doceri existimat Cardinalis, eos, qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse filios Dei, sed posse tales fieri, si scilicet pergant, sicuti Christum recipere & amare inceperint. Sed R. per *ἐξουσίαν* h. l. non intelligi facultatem vel potestatem quandam agendi, aut adoptionem quandam liberam, quâ quis possit fieri filius Dei vel non, ut Bellarminus cum alijs ineptè contendit : sed per *ἐξουσίαν* *τέκνα θεῶν γενέσθαι* intelligi dignitatem illam, quam habent filij Dei à Patre cœlesti, per quam etiam actu constituuntur filij Dei, quæ aliàs Paulo unô verbô *υἰοθεσία* dicitur. Sensus igitur verborum est : quotquot receperunt eum (Christum) per fidem, illis dedit hanc dignitatem vel jus illud *υἰοθεσίας*, ut filij Dei essent, vel per quod essent filij Dei, hoc est, adoptavit eos in filios Dei. Hanc explicationem suppeditat nobis ipse Paulus Gal. 111, 26. *omnes estis filij Dei per fidem.* Quod igitur non ut radici primæ vel initio justificationis, vel dispositioni justificationis fidei tribuatur, inde manifestum est, quod nullo idoneo scripturæ loco probari id possit, & fidei insuper ita adscribatur justificationis, ut eâ positâ ponatur, & sublatâ illâ, statim tollatur justificationis, quod fieri non posset, nisi fides in Christum esset proxima & adæquata justificationis, ex nostra quidem parte, causa.

XXII. Fides proinde justificans est vera & proxima ju-
D stifica-

stificationis nostræ causa, eamque justificare hominem dicimus tanquam causam efficientem, non quidem principalem, sic enim homo seipsum justificaret, quod absurdum: sed instrumentalem, quod satis apparet, quando in Scripturis justificari dicimur Fide, EX Fide, item, PER Fidem Rom. III, & v. passim. Non potest scilicet locus Scripturæ afferri ubi expressum sit in casu recto: Fides justificat; sed sub casibus obliquis Scriptura sæpius loquitur, *fide, ex fide, per fidem*, nos justificari, ut ita verissimum sit, fidem, quæ Christi meritum apprehendit, unicum illud à parte hominis esse medium, cujus intuitu Deus peccata remittat. Incidit h. l. quæstio inter nos & Pontificios de operibus nostris an videlicet per illa coram Deo justificemur? Distinguunt autem Pontificij inter opera fidem insequentia, quæ cooperante Spiritus S. gratiâ fiunt: & inter opera fidem præcedentia, quæ à solis viribus liberi arbitrij fiunt ac procedunt. Hæc à justificatione excludenda esse ultrò largiuntur; illa verò non item.

XXIII. Nos tamen constanter *retinemus sententiam de fide, quod fide consequamur remissionem peccatorum, non propter nostra opera PRÆCEDENTIA aut SEQUENTIA* (fidem) ut Apolog. Aug. Conf. de Confess. & satisfact. §. *Et ex illo ritu publica &c.* loquitur. Hanc sententiam immotis fundamentis probamus(1) quia aliquoties Apostolus ad Rom. & Gal. absolutè pronunciat *ex operibus nullam carnem justificari*. Quod certè nimis durum assertu foret, si quispiam justificaretur per opera, ad quæ præstanda fides præivisset. Opera enim facta præcedente fide non minus, imò fortassis magis sunt opera, quàm quæ ante fidem erant facta(2.) Quâ re ex parte sua fuit justificatus Abraham Pater omnium credentium tùm quoad initium justificationis, tùm quoad continuationem ejus & progressum, eâ justificabimur & nos & ceteri

cæteri omnes. Fides est illares, quâ Abraham justificatus est &c. Ergò fides est id ipsum, quo justificabimur & nos, & cæteri deinceps omnes. Et porrò: Quâ re Abraham non invenit gloriam apud Deum, eâ nec ipse justificatus est, nec nos justificabimur. Sed operibus suis etiam præcedente fide factis, Abraham non invenit gloriam apud Deum Ergò. Minor probatur disertis verbis Apostoli Rom. iv, 2, 3. *Si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet quod gloriatur, sed non apud Deum. Quid autem dicit Scriptura? CREDIDIT Abraham Deo, & HOC ipsi imputatum est pro justitiâ.* Ubi ipse Bellarminus libr. i. de iustific. Cap. xix. Col. 873. fatetur, *Abraham eo tempore, de quo (hîc) loquitur Apostolus, renatum quidem fuisse, & ex fide multa bona opera fecisse, &c.* Ne tamen desit, quod obvertat, argutatur, Paulum illa opera excludere, quæ Abraham jam justificatus potuisset non ex fide facere, quia etiam ij, qui fidem habent, possint aliquando operari sine fide, ut cum peccent aut faciant opera purè moralia sine relatione ad Deum; Itane verò Bellarmine? &, an metaphysicè loquitur Apostolus de operibus Abrahamæ possibilibus & non potius de jam factis, extantibus & præsentibus? an quæstio erat, num homines, cum sine fide agentes peccant, istis malis operibus justificentur? an, si Abraham opera fecisset sine relatione saltem virtuali, ad Deum mandantem, ad Dei gloriam, ista opera verè fuissent bona? omnia frivola inepta, & longè per vim accersita! (3) quia omnia opera à justificatione excluduntur quæ gloriationem parere possent Eph. ii, 9 *non ex operibus (salvati estis) ne quis gloriatur.* At opera etiam ex gratia profecta, quia cooperationis nostræ influxum habent, gloriationis materiam homini ingrato præbere possunt. Excludentur itaque & illa à justificatione ex parte nostra consequendâ. Quandoquidem itaque nec per opera quæ præcedunt, nec per

opera, quæ sequuntur fidem ex parte nostra nos justificari
Apostolus insinuat, ex adverso *fide, ex fide, per fidem* nos
justificari, tam apertè inculcat, hinc nos jure merito
conficimus, solâ fide ex parte nostra coram Deo nos justifi-
cari. Nam (ut Epitome Calixtina doctè inquit) *ubi duo tantum
sunt modi, quibus res aliqua possit obtineri, negato uno, solus relin-
quitur alter, ut rectè dicatur, rem per solum illum alterum obtineri.*
Et hic modus loquendi, quod solâ fide justificemur apud
Deum, etiam veteribus Ecclesiæ Dd. fuit frequentatus,
quorum testimonia collegit Gerhardus in Locis, ubi vide-
ri possunt. Nimis jejuna hîc est sapientia Iulii Cæsaris Co-
turi, qui in Epitome Controversiarum Demonstrat. XI.
de fide justificante Cap. III. pag. 255. ita discurret; *quando
dicimur justificari fide, non est intelligendum solâ, sed sicut rectè
dici potest, hæc arbor me aluit, comprehendendo simul fructus,
quos illa profert, sic dicitur fides nos justificat, intelligendo virtu-
tes alias, quæ à fide tanquam fructus ab arbore dependent: quinimò
hâc ratione rectè dici potest, etiam solâ fide nos justificari, sicut
rectè dicitur, solâ arbore nos ali, nam sicut arbor fructus ad alen-
dum, sic fides alia ad justificandum necessariò in se tanquam in
principio includit.* Ita quidem ille. Sed si fides ex men-
te Apostoli, *includeret virtutes alias, quæ à fide tanquam
fructus ab arbore dependent, quomodo fides tam præcisè
opponeretur operibus ab eodem Apostolo? Rom. III, IV.
Gal. II.* Quæ se habent ut includens & inclusum, ea sibi in-
vicem non solent opponi. Miramur, hoc sciolum Iesui
tam potuisse latere.

XXI V. Ubi tamen observandum, nos, quando ita
strenuè asserimus, *homines solâ fide justificari*, particulâ illâ
exclusivâ ex parte Dei non excludere ejus gratiam & mi-
sericordiam, & meritum Christi, nec verbum & Sacramen-
ta; neque etiam ex parte nostrâ contritionem & studium
bonorum operum, ut Pontificij per injuriam nobis impo;

nunt, sed opera tantum nostra ceu merita, quæ vel præcedant vel sequantur fidem, à justificatione accipiendâ excludimus. Particulæ enim exclusivæ nõ excludunt sese concomitantia sibi que subordinata, sed ea tantum, quibus in materia illa opponitur terminus, cui ista adduntur. Fides autem in articulo justificationis non opponitur gratiæ Dei & Christi merito, sed tantummodò nostris operibus. Ergò etiam sola illa excluduntur. Audiamus hîc ipsum Lutherum Tomo II. Lat. Ien. in fine, adversus armatum Virum Cochleum : *Sola fides justificat, per hoc tamen non oportet negari, quin Verbum, Sacramentum, Christus, Prædicator, Spiritus, & Deus Pater iustificet. Deus enim omnia facit ut iustificemur, Christus meruit ut iustificemur, Spiritus sanctus exsequitur meritum Christi, ut iustificemur. Verbum est instrumentum, quo exsequitur Spiritus meritum Christi, similiter & Sacramentum & prædicator. Sed formalis iustificatio relinquitur soli fidei, cum sine fide nec Deus, nec Christus, nec aliud quicquam proficit ad iustitiam.* Porro quoniam hæc propositio, *sola fide iustificamur*, est exclusiva exclusi subjecti, exponimus eam hoc modo: fide meritum Christi apprehendente à parte nostrâ iustificamur, & nullo pietatis opere nostro iustificamur. Quãvis autem Scriptura totidem verbis nusquam tradat, nos solâ fide iustificari, dicimus tamen quoad sensum locutionẽ hanc omninò in ea haberi. Sic enim Apostolus Rom. III, 20 *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius; per legem enim agnitio peccati, v. 28. Arbitramur igitur fide iustificari hominem absq; operibus legis Rom. IV, 5. Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiã.*

XXV. Hîc verò magnâ contentione Iacobum opponunt adversarij Epistolæ suæ Cap. II, 21, 24. nobis, ut illi quidem existimant, deditâ operâ & sic contradicentẽ; *Abraham Pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, cum obtulisset*

D 3

filium

filium suum super altare? — Videtis igitur, quòd ex operibus iustifi-
cetur homo, & non ex fide tantùm. Non ignoramus equidem,
quid Eusebius lib. II. c. XXIII. in fine de hac Iacobi Epist. scri-
bat, nimirũ sciendum esse, quod illa sit adulterina, non enim mul-
tos ex veteribus eius mentionem facere. Quod iudicium secutus,
ut videtur, Lutherus noster, de Iacobo illo non dubitavit
inclementer admodum sentire, quando ad Cap. XXII. Gen.
vers. 12. nunc malè concludere Iacobum, nunc delirare planè, scri-
pfit. Quibus parùm mitiora sunt, quæ Præfatio vernacula
Epistolæ Iacobi in Bibliis ejus vernaculis præmissa habet.
Nolumus autem nos illuc descendere, & patimur, Epistolã
Iacobi pro Canonico N. Test. libro haberi. Quin imò di-
cimus cum S. Augustino libro XXCI II. quæst. qu. LXXVI. Qui
putant istam Iacobi Apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli
sententiæ, possunt arbitrari, etiam ipsum Paulum sibi esse contrari-
um, quia dicit alio loco: Non enim Auditores legis iusti sunt apud
Deum, sed factores legis iustificabuntur. S. itaque Augustinus
Iacobum cum Paulo minimè pugnare existimavit. Cujus
sententiæ etiam nos sumus, & Iacobum in locis citatis hoc
omninò velle putamus. Abraham, Pater ille noster, nonne ex
operibus ἐδικαιώθη iustificatus est, h. e. declaratus & comper-
tus fuisse iustificatus? Cùm enim Isaacum obtulisset, di-
xit ad eum Angelus Domini: iam COGNОВI, te timere
Deum, quod non pepercisti filio tuo unigenito, Genes. XXII, 12.
Igitur hoc opus non fuit justificationis causa (quæ Genes.
xv, 6. minimum triginta annis ante commemoratur) sed
testimonium & declaratio. Porro sequitur apud Iacobum
vers. 22. Vides, quod fides συνήρηται cooperata fuerit, administra fue-
rit operibus ipsius, h. e. produxerit ejus opera, Gal. v, 6. (τὸ συν-
ήρηται enim quandoque est operari simpliciter, Marc. XVI,
20. Domino cooperante, h. e. operante per Apostolos) & ex o-
peribus fides ἐτελειώθη perfecta fuit, h. e. manifestum factum
fuit,

fuit, quod esset perfecta seu vera & sincera. Fides scilicet eò perfectior dicitur, quò plenius perspecta est & cognita, & quo efficacius sese exserit, ut si dicatur alicujus arboris bonitas tùm fuisse perfecta, cùm optimum aliquem fructum edidit.

XXVI. Nemo tamē sibi persuadeat quando operibus derogamus quod juxta fidem, & cum fide, justificationem à parte nostra impetrent, nos hoc velle, quod justificationem per fidem acceptam illa non necessum sit in justificatis sequi. Reclamant enim ubique libri Ecclesiarum nostrarum Symbolici. Art. vi. Aug. Conf. Docent, Protestantes, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera à Deo mandata facere, propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera iustificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum & iustificatio fide apprehenditur. Art. xx. §. antepenult. Præterea docent nostri quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantùm fide apprehenditur remissio peccatorum & gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, iam corda renovantur & induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Fides enim bonæ voluntatis & actionis iustæ genitrix est. Plura loca è libris Confessionum nostrarum nunc non vacat adducere.

XXVII. Invisa quidem majoribus nostris fuit illa phrasis, *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, non tamen illâ repudiata, omnem bonorum operum necessitatem voluerunt simul eliminare. Causa enim propter quam ista phrasis ipsis tantoperè exosa fuit, hæc deprehenditur, quod existimaverint, tò necessarium ad salutem, non posse aliter accipi, quam ut causam aut meritum importaret. Ita enim Nicolaus Selneccerus in Catechesi pag. 67. ubi quærit, quid de phrasi, *bona opera sunt necessaria ad salutem*, sit statuendum? *Sequamur*, inquit, *Consilium Dn. Philippi Præceptoris.* — *Non utor his verbis, bona opera sunt necessaria ad salutem, quia hæc additione, ad salutem, intelligitur meritum.* Eadem Philippi verba recitat Johannes Pappus Commentar. in Aug. Conf. ad artic. iv. de Bonis operibus pag. 88. eaque suo calculo cœu vera approbat. In eadem sententia est Jacobus Heerbrandus Compend. de Bonis operibus pag. 430. *hæc additione, ad salutem, meritum intelligitur.* Et paulò antea sonat & primâ facie apparet illa phrasis, *as si causam salutis æternæ operibus tribueret.* Nec alia mens fuit Davidi
Chy-

Epistol.
Chytræi
pag. 820.

Chytræo Epistolâ ad Jacobum Andreæ. De necessitate & perniciositate operum ad salutem — verba sicut sonant, & sicut rusticus ille tuus inter Ienam & Vitebergam ea intelligit, accepta, meritum aut concausam salutis significant. Hæc ita illi. Cæterum hodiè quidem Viri quidam docti sole clarius ostenderunt, tò esse necessarium ad aliquid consequendum, accipiendum, reportandum, non statim veram causam, sed aliquando conditionem tantùm sine-qua-non importare. Qui proinde phrasin illam, bona opera, aut rectius, observationem mandatorum Dei, esse necessariam ad salutem, de necessitate illius tanquam conditionis SINE QVA nemini detur videre Deum Hebr. xii, 14. exponunt, & ita expositam, gratuitæ justificationi nihil derogare ostendunt, sicut è publicis eorum scriptis est notum. Hinc ipse Salomon Glassius, vir doctissimus, in Pericopen Evangelicam Dom. 119. post Trinit. Meditatione iv. ita scribit: *Sicut duo ad salutem sunt necessaria, primùm, vera doctrina, & ei superstructa fides, secundo, vita pia ac Deo placens; ita duo econtra à vitâ aternâ abducunt &c.* Ecce, *vita pia ac Deo placens*, Salomoni Glassio, ad salutem necessaria fuit visa, & ita de eâ palàm loqui non dubitavit. Similia aliorum dicta, alibi producuntur.

XXIIX. Superest, ut paucis de causa justificationis finali dicamus. Est autem illa respectu Dei, ejusdem gloria. Quod satis indicat Apostolus Rom. 111. 24, 25. 26. *Iustificamur gratis illius gratiâ, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus, ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse iustus & justificans eum qui est ex fide Iesu Christi.* Iustificamur, ut laudetur gloria gratiæ Dei, quâ charos reddidit nos per illum dilectum Eph. 1. 6. Respectu verò nostri, finalis justificationis causa duplex est. Primò in hac vita pax & tranquillitas conscientiæ, ita ut *iustificati fide, pacem habeamus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum*, Rom. v. 1. In alterâ demum vita erit beatitudo & hæreditas vitæ æternæ. Concludimus verbis S. Augustini, ut existimatur, Manual. c. xxii: *Tota spes mea est in morte Domini, non sum meriti inops, quamdiu Deus miserationum non defuerit, si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis.*

Mors Domini meritum meum. Quanto ille potentior est ad salvandum, tantò ego de salute sum securior.

F I N I S.

99 A 7000


ULB Halle 3
002 840 502



LY 77

Reho ✓





DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

GRATVITA
JUSTIFICATIONE

HOMINIS PECCATORIS
CORAM JUDICIO DEI

Q V A M
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

GERHARDI TITII

S. THEOL. DOCT. ET PROF.
ORDINARI

AD DIEM XXV AVGVSTI

IN ILLVSTRI ACADEMIA JVLIA

Publicè examinandam proponit

JOHANNES JVLIVS Kreitt

AVTOR

HABEBITVR

IN JVLEO MAJORI.



HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CID IO C LXIV.

